SOLUTIO QUÆSTIONIS

QUÆ AD CANONICAM SPECTAT

PIORUM LEGATORUM

INTERPRETATIONEM

VICETIAE
TYPIS EPISCOP. PICUTTI
1856.

ADMODUM REVERENDO ARCHIPRAESBYTERO

ALOYSIO SCHIAVO

VIRO OPTIMO

Angelus Schiavo Praesb. Can. Vicet.

S. P. D.

Strenuo tibi ac perducto rerum Ecclesiae adsertori hoc qualecumque mei specimen laboris, quod ad aliquam spectat rationem gerundi hujus generis negotia, jure inscribendum censui. Sit enimvero id tibi mnemosynon votorum, quibus te sequor proficiscentem ad paroeciam S. Floriani de Zimella, jamdiu nomen Parochi et laudem domi assecutum, magnisque pro animarum salute perfunctum laboribus. Quaestio, de qua hic ago, eo loci, ubi primum enata est, jamdudum deferbuit, imo obductis cineribus sopita est. Verum, cum maneant, veluti carbones ignem denuo daturi, si occasio ceu favilla suppetat, principia toto dissita coelo, quibus divexata fuit quaestio, operae pretium duxi,

eam brevi pressoque stilo retractare, ut, si tanti valeam, nonnihil illustrem certamque ostendam regulam in ea sequendam. Si quis mihi succenseat, quod altiora me videar quaesiisse, ignoscat is, quaeso, errata et saniorem in communem usum promat doctrinam; dum ego idiotam agere gestiam, hoc uno contentus, quod vel meo facinore alios ad docendum magis idoneos excitaverim. Interim tu gratum habe, quod conatus sim veteris necessitudinis atque observantiae meae signum tibi exhibere.

Vicetiae X Kal. Iul. MDCCCLVI.

Quaestio.

Pius testator cuidam Ecclesiae legato reliquit certam pecuniae vim, cujus speciem per libellas sic dictas plateales designavit. Mox orta est quaestio de hujusmodi specie libellarum; aliis cum haerede ex institutione et moribus pii testatoris arguentibus eas esse locales (venetas); aliis vero repugnantibus, et ex stilo fori civilis, quem pius testator ignorare nequiverat, contendentibus eas haberi legales (austriacas). Cum vero, si altera in foro civili praevaleat sententia, contingat valde adauctum iri legatum in utilitatem Ecclesiae, hujus administratores incerti haerent, quid consilii capere debeant, ne muneri suo desint. Quid illis suadendum?

Solutio.

Suadendum administratoribus, ut morem gerant haeredi, ab eoque, non expectato fori saecularis judicio, recipiant legatum in ea pecuniae ratione, quae sola certa est, facta nimirum supputatione per libellas locales. Hoc probatur sequentibus argumentis:

I. Certissimum est illud principium, quod est maximi usus in Theologia morali, praesertim post D. Alphonsum de Ligorio, videlicet *in dubiis standum esse praesumptioni.* Atqui in dubio, de quo agitur, praesumptio stat pro intentione pii testatoris, quod libellas sic dictas plateales ipse intellexerit locales. Etenim vocabula semper, donec contrarium probetur, praesumuntur accepta in obvia ac naturali eorum significatione. Porro obvia ac naturalis significatio, quam habent libellae sic dictae plateales, alia esse nequit, quam si dicerentur locales, quae nem-

pe usuveniunt in aliquo commercii *loco,* qui vulgo dicitur *platea.*

II. Certissimum aeque est alterum principium, quod idem D. Alphonsus frequentissime urget, nimirum *nemini imponenda esse onera nisi certa.* Ex quo consequitur, haeredem stricto jure cogi non posse ad persolvendum legatum, nisi in mensura, quae plane certa habeatur, utcumque inferior ea, quam speraverit umquam legatarius. — Sane legata vocantur, suntque revera *onera haereditatis.*

III. Testamenta majorem vim habere nequeunt, quam habeat ipsa lex, quaecumque demum haec sit, quae valere ea praecipit. Quoniam vero lex *dubia non obligat,* prouti omnium luculentissimus probavit idem D. Alphonsus, sic nec testamenta, quatenus dubia sunt, haeredem queunt obligare. — Sane testator habetur ad haeredem quasi legem ferens, eique primum favere praesumitur, dein reliquis, quibus illum jubet certa legata persolvere.

IV. Principiis generalibus ex jure Canonico et Theologia morali depromptis, accedit quoad legata specialis auctoritas et doctrina laudatissima ejusdem D. Alphonsi, qui lib. III. n. 923 docet haeredem non teneri ad voluntatem testatoris implendam, si de ea certo non costat; et lib. eod. n. 938 haeredem, quando agatur de legatis incertis quoad numerum, pondus et mensuram, satisfacere suae obligationi dando rem in eo genere minimam. — Confer Scavini de just. tract. VI. disp. II. tertiae edit. Neyraguet de contract. cap. 2. art. 3. §. 3.

V. Allatis argumentis, quae strictum jus respiciunt, accedit ratio aequitatis, ne summum jus persequi videatur Ecclesia, maxime si ex liberalitate tantum pii testatoris legato non mediocri donata sit, et ne subeat pro incertis juribus odia majora, quam quae pro certis quotidie ab improbis hominibus pati cogitur.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Si dubia et difficultates oriantur circa testamenti et legati cujusquam valorem seu interpretationem, exquirenda est in foro civili sententia, eique omnino acquiescendum, prouti docet ipse D. Alphonsus De Lig. lib. III. n. 927.

Solv. Hoc nimis probat; quia ex pari ratione standum esset hujusmodi sententiae etiam quoad legata pia destituta formis a lege civili praescriptis, quod minus convenit tum Juri Canonico, tum doctrinae ipsius D. Alphonsi lib. eod. n. 923 dum citato n. 927 loquitur tantum de legatis prophanis.

Obj. 2. Cum etsi D. Alphonso non probetur, recepta tamen sit et probata plerisque doctrina, quae ex jure tantum civili derivat omnem vim testandi ac legandi etiam ad pias causas, patet, administratores hujusmodi causarum exquirere debere in foro civili sententiam, quotiescumque exinde sperent in majori quantitate obventura fore bona relicta eisdem causis piis.

Solv. Hoc etiam nimis probat; sequeretur enim, eos exquirere debere civilem sententiam, etiam cum non incrementum, sed minutionem bonorum causis piis relictorum inde expectare oporteret; nisi forte contradictorio systhemate eos uti sinamus, modo Juri tantum Canonico, modo Juri tantum Civili inhaerentes, prouti sola utilitas causarum piarum, non vero prouti recta ratio sibi constans postulat; quod quam sit absonum et absurdum, et quantam invidiam causis piis et Ecclesiae pariat, nemo non videt.

Obj. 3. Si ita res est, numquam licebit pro tuendis Ecclesiae juribus exquirere in foro civili sententiam.

Solv. Licebit nihilominus enimvero; imo solerter oportebit exquirere, quatenus leges civiles praesidio sunt Ecclesiae, non vero quatenus ipsis Ec-

clesia subjaceat pro dijudicandis ac metiendis juribus suis. Jam vero supremae Potestatis Ecclesiasticae decernere erit, si quando in extraordinario rerum eventu ipsa expediens judicaverit, jura incerta Ecclesiae saeculari judicio terminari.

Obj. 4. Istâ agendi regulâ asseritur implicitê doctrina D. Alphonsi et veterum pro valore piorum legatorum formis civilibus carentium, exclusâ oppositâ, quae silente Ecclesia passim hodiedum tenetur, gravibusque pollet tum rationis, tum auctoritatis momentis.

Solv. Non asseritur proprie hac regulâ, sed tantum ceu ***probabilis ac non contemnenda*** habetur doctrina D. Alphonsi, quae non veteres tantum, sed et recentiores habet patronos. Confer Gury, qui de contractib. n. 778 eam communiorem et probabiliorem vocat. Sane, cum aeque saltem probabilis habenda sit, ac opposita, exurgit dubium; in quo licebit quidem vel ipsis Ecclesiae administratoribus oppositae adhaerere disputativê, non autem practicê, ne res ac dignitatem Ecclesiae temere suo ingenio perturbent, dum ex officio ea prudentissime curare tenentur.

Obj. 5. Cum saltem hodiedum apud nos Lex civilis habeatur unica norma pro condendis exequendisque testamentis, consequitur legata pia, non secus ac prophana, subesse prorsus judicio et interpretationi fori civilis, etiam ex mente testatorum, cum unusquisque sciat, ea aliter effectum sortiri non posse.

Solv. Hoc gratis asseritur. Sane etiam hodiedum apud nos pii testatores sollicitì quidem sunt de formis civilibus servandis, ne earum defectu abutantur homines minus religiosi: sed nihil minus probari potest, quam eam esse mentem ipsorum, ut pia legata plane irrita cadant, si quopiam defectu laborent civilium formarum. Etsi enim his destituta per

judicem civilem vindicari nequeant, possunt adhuc habere effectum ac rite persolvi ab haeredibus ex amore justitiae et Religionis. Manet itaque etiam penes nos quaestioni locus quoad legata pia formis civilibus destituta; manetque proinde locus canonicae eorumdem interpretationi, qua contenti sint oportet Ecclesiarum administri et praesides.

644